Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1703
Quelle:
Copyright:

flosculis ornate contextis liuidum dentem imprimis. ac rosigerum sertum candidulis lilijs connexum venenata lingua carpis. invidia quidem te ut proprium suum caligini ignorancie inuoluet. me autem beniuolentia per lumen scientie ad gloriam et honorem perducet. Liceat dubitare, galeatum hunc Prologum ab ipso profectum esse *Honorio;* interim tamen adjicere placuit. Operis initium: *Mundus dicitur quasi undique motus* &c. Sub finem, ubi Edita legunt: *Rodicker Abbas claret*, Codex habet *Hodker.* Quid si scribendum *Notker*, *Notgerus*, quem etiam L. IV. *de Scriptt. Eccl.* c. 9. *Honorius* perperam *S. Galli Abbatem* fecit? Sistunt Edita in *Friderico* I. Imp. Codex vero superaddit: *Heinricus filius eius IX. annis regnauit*, et continuo adtexit *Seriem pontificum Romanorum* a D. *Petro*, et quidem a prima manu usque ad *Martinum* IV. cui manus recentior adjecit: *anno Domini M°. CC°. LXXXI. sedit annis tribus*, et mox Seriem perduxit usque ad *Gregorium* XII. electum exeunte a. 1406. In Editis *citt.* reperitur haec Series post *Librum IV. de Philosophia Mundi* p. 1026. ubi non ultra *Innocentium* II. electum a. 1130. procedit. Non igitur, ut fit, etiam *Honorio* Continuatores defuere.

IV. *fol.* 131. *Incipit liber de miseria humane conditionis editus a lothario diacono qui postea Innocentius papa III. appellatus est.* Exemplar elegans, vetustum, ad ipsius Autoris, qui a. 1216. obiit, tempora accedens Libelli pii a me saepius relati, qui init: *Domino patri karissimo N. portuen. episcopo lotharius indignus dyaconus* &c.

V. *fol.* 164. *Sermones* II. eadem manu exarati. Prior *De Animabus*, videlicet in Commemoratione Fidelium Defunctorum, incipit ita: *Licet fideles communicent in ordine suo, modo suo, sed in hodiernis omnes similiter conuescuntur et communiter uocantur* &c. Alter *De Pascha domini* ita: *Surgens ihesus mane prima sabbati* &c. *Decies dominus ihesus apparuisse legitur* &c.

VI. *fol.* 169. p. 2. *Incipiunt exempla de beata virgine.* Sunt numero XIII. piae credulitatis argumenta praecipue de Cantu: *Salve Regina.* Initium est: *Ad honorem partus beatissime virginis que non solum peperit sine dolore* &c.

VII. *fol.* 175. *Incipit genealogia biblie magistri* (Petri) *pictauiensis.* Istud a secunda manu; Textus vero ipse minutus quidem, sed ut vix quidquam nitidius videre possis. Eandem laudem merentur Schemata orbiculata, quibus distinguitur, Figurae item miniatae primorum Parentum, Arcae *Noae*, Mansionum et Castrorum Populi *Israel*, et urbis *Jerusalem.* Egi de hoc memoriae Adjumento *Vol.* I. P. I. *col.* 432. Quid complectatur, ex his Prooemii verbis liquet: *Ab adam inchoans per patriarchas judices reges et prophetas et sacerdotes eis contemporaneos usque ad christum finem nostrum ordinem perduxi.* In Exemplo